



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

27. S. Cosmas & Damianus Martyres

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

XXVII. Sept. SS. Cosmæ & Damiani. 553

id agendum est, ait D. Chrysostomus ut  
vita nostra Evangelio respondeat.

*Instructio meritoria.*

Sub lectione SS. Evangeliorum ò ubi  
nostra interdum sunt corda? Erubesci-  
mus fateri. Summa his reverentiam,  
timorem, & fidem debemus, Igitur &  
reddamus standò posthac ad eorum le-  
ctionem in magna animi recollectione,  
& Deum rogandò, ut verba Evangelica  
exeant in omnem terram, & convertant  
obdurata hominum pectora. Pro clau-  
sula ad implantandam infidelibus fidem  
catholicam recitemus *officium de SSS.*  
Trinitate cum affectu suspirante: *Domi-  
ne! auge nobis fidem.*

**Festum Sanctorum Martyrum**

*Cosmæ, & Damiani Thavmatur-  
gorum.*

**EXHORTATIUNCULA I.**

**C**Hare fili! Infirmi sumus? Ad me-  
dicos curramus. Monstrar hos  
nobis dilecta parens Ecclesia in Sanctis  
Cosma, & Damiano. Nostra igitur eis  
pandamus vulnera! ostendamus & ani-

A a mi



154 XXVII. Sept. SS. Cosmæ & Damiani.

mi ulcera ! Placebit hæc nostra confi-  
dentia. In meritis, & patrocinis san-  
ctorum salus nostra. Quærimus alibi?  
Perdemus ! Inveniemus nunquam.

*Instructio meritoria.*

Sed quomodo vulnera pandemus,  
si intima raro, aut nunquam inspici-  
mus ? Si examina ordinaria frequenter  
negligamus ? Emendemus nos, & per  
octo dies jugiter occupemur in exercitio  
nocturnæ discussionis, descendamus in-  
tra propriam conscientiam, & i. s. Pater  
& Ave cum Te Deum Laudamus  
nobis ipsis imponamus in regularem  
poenitentiam. Cor si non offeratur hu-  
miliatum, non dimittitur peccatum.

II.

**B**enefacere proximo, magnum pie-  
tatis opus est. Consolari infirmos,  
divinæ Charitatis. Sancti hi Medici &  
succurrerunt, & gratis sanarunt omnes,  
& singulos, quotquot languebant cor-  
pore. Quid nos ? Bone fili ! jam nau-  
feamus, si vel à longè ægrotos intue-  
mur, aut de his quid narrari audimus.  
**O** delicatos ! O molles nos ! Heu ! pri-  
vabi-



XXVII. Sept. SS. Cosmæ & Damiani. 555  
vabimur illō dulcedinis verbō: *Infirmus*  
*sui, & visitasti me.*

*Instructio meritoria.*

Opera facimus multa: Humaniter  
conversamur cum proximo; Dulciter  
alloquimur, juvamus, & consolamur.  
Quō fine? O si gratiſ! O si ſinē reſpe-  
ctu ad propria commoda, ſine reflexio-  
ne ad majorem ſui aëſtimationem, & fa-  
vores lucrandoſ hominum! Infelicia  
lucra! His perdimuſ cœlum, Deum,  
omnia. Aſſueſcamuſ igitur rectæ in-  
tentioni, quam hodie præcipuis diei  
operibus præfigamur hac tesserā: Do-  
mine! *Tu ſcis, quod amem te.* Fiat  
adoratio Sanctissimi clauſis oculis, &  
erectis manibūs per unum quadrantem.  
In fine addatur *officium de mellifluo Ven.*  
Altaris ſacramento. Quoties cupimus,  
Jesus ſe nobis conjuŋgit: Thesaurum  
aperit, quotiescumque indigus ſupplicat  
homo.

III.

**N**Ec mirum, quod levem mercedem  
ab hominum manibus recuſaverint  
hi Martyres constantiſſimi. Majorem,  
A a z &

156 XXIX. Septembris. S. Michaelis Archang.  
& quide[m] immortalem sperabant à Do-  
mino, quam & obtinuerunt martyriō.  
O fili ! Sursum cum cordibus nostris!  
In terra non nisi expectanda afflictio; ibi  
sola, & perpetua invenitur consolatio.

*I structio meritoria.*

Quidquid acceperimus, aut donatu-  
ri simus aliis, prius superioribus exhi-  
beamus, aut in horum absentia, mani-  
bus Jesu, Mariæ, & S. Josephi praesen-  
temus, supplicantes, ut bene dicere,  
& sanctificare dignentur intenta mune-  
ra. Ad exuendum verò omnem pro-  
prietatis affectum hodie, & singulis so-  
lemnioribus Festis renovare statuamus  
religiosa vota, quæ claudemus cum *Te  
Deum Laudamus*. Sacrificium prom-  
ptæ, & piæ voluntatis, est coram Deo  
magnæ sanctitatis.

Festum Gloriosissimi Principis,  
& Archangeli S. Michaëlis, Prote-  
ctoris Ecclesiæ potentissimi.

*EXHORTATIUNCULA I.*

**F**ili! unde S. Michaëli tanta in cœlis  
gloria ? Nunquid à profundissima  
sui